Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Christus qui de celo venturus est vivos et mortuos iudicaturus. hunc dicimus diem iudicii ultimum diem divinum i. novissimum quia nunc quot dies istud iudicium pretendat incertum est. sed scripturarum more sanctarum dies poni solet pro tempore. Ideo autem dicimus ultimum iudicium vel novissimum quia et nunc iudicat et ab humani generis initio iudicavit a ligno vite separans primos homines et angelis peccantibus non parcens. In illo autem finali iudicio simul et homines et angeli iudicabuntur. Fiet enim virtute divina ut cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur ut accuset vel excuset scientia conscientiam. Aug.

de fide & operibus

Ibunt hii in supplicium eternum. iusti vero in vitam eternam.

Non nulli se ipsos seducunt dicentes ignem eternum dictum non ipsam penam eternam. Hoc previdens dominus sententiam suam ita conclusit dicens. Ibunt hii in supplicium eternum. iusti vero in vitam eternam. Greg. Attende quod cum prius dixisset venite benedicti. deinde discedite maledicti. quia proprium bonum dei est primum recordari beneficia bonorum quam maleficia malorum qui prius nominat penam malorum deinde vitam bonorum. ut primum quod timoris est evitemus mala. postea que honoris est appetamus bona. Greg. Si igitur tanta pena mulctatur qui non dedisse convincitur. qua pena feriendus est qui redarguitur abstulisse aliena. Aug. Est autem eterna vita summum bonum nostrum et finis civitatis dei de quo fine dicit apostolus. finem vero vitam eternam. Sed rursus quia vita eterna ab hiis qui familiaritatem non habent cum scripturis sanctis potest accipi etiam vita malorum vel propter anime inmortalitatem

xx. mor.

xx. ix. de ci. dei

vel propter interminabiles penas impiorum. profecto finis civitatis huius in quo summum habebit bonum vel pax in vita eterna vel vita eterna in pace dicendus est ut ab omnibus possit intelligi. Aug. Quod ait dominus famulo suo moysi ego sum qui sum. hoc contemplabimur cum vivemus in eternum. Ita enim dicit ait. hec est vita eterna ut cognoscant te verum deum. Hec enim nobis contemplatio promittitur actionum omnium finis atque eterna perfectio gaudiorum. Dicit Iohannes. videbimus eum sicuti est. Ieron. Prudens autem lector intende quia et supplicia eterna et vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum. Greg. Aiunt iniquitatem iustus peccantibus minatus est ut eos a peccatis compesceret. Quibus respondemus. Si falsa minatus est ut ab iniustitia corrigeret. et falsa promiserat ut ad iustitiam provocaret. et sic dum satagunt deum pro hiis misericordem dicere non verentur predicare fallacem. At inquiunt. Sine fine puniri non debet culpa cum fine. Quibus respondemus quod recte dicerent si iustus iudex non corda hominum sed facta pensaret. Ad districti igitur iudicis iustitiam pertinet ut numquam careant supplicio qui numquam in hac vita noluit carere peccato. Aug. Nullus autem legis iustitia attendit utrum tanta mora temporis quisque puniatur quanta mora temporis unde puniretur admisit. Nullus enim extitit qui censeret tam cito nocentium finienda esse tormenta quam cito factum est homicidium vel adulterium. Et non pro aliquo gravi crimine morte mulctatur. numquid mora qua occiditur eius supplicium legibus estimatur. et non quod eum in sempiternum auferat a societate viventium. Iam vero dampnum ignominiam exilium servitutem cum plerumque sic infliguntur ut nulla venia relaxentur. nonne pro huius vite modum similia penis videntur eternis. Ideo quippe eterna esse non possunt quia nec ipsa vita que hiis plectitur porrigitur in eternum. Sed inquiunt. Quomodo igitur verum est quod ait Christus. In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis

i. de trini.